



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

29. S. Franciscus Salesius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)



## Festum S. Francisci Salesii, Divini Amoris Magistri.

## EXHORTATIUNCULA I.

**F**lli ! fortè S. Franciscum Salesium non novimus hætenùs ? Ecce ! fuit decus hujus sæculi, virorum Apostolicorum, & Episcoporum exemplar, pietatis, & amoris Divini Doctor peritissimus. Quis non fatagat esse cultor, & amator Viri coram Deo, & homine preciosissimi ? Rari si hi sint, augeamus sanctitate & nostrâ justitiâ.

*Instructio meritoria.*

Ut amatores crescant Dei, & S. Francisci, præsertim in S. Familia à Salesio quàm piissimè instituta, fiat una hodie specialis Visitatio Sanctissimi Altaris Sacramenti. Cum recitatione *Litaniarum* de Eodem. Si S. Franciscum quaeramus, cum Jesu in tabernaculo inveniemus. Properemus !

## II.

**Q**uidquid scribendum, componendum, legendum, aut agendum, id omne exordiebatur à Verbo : *Vivat Jesus.*



*sus.* Hoc Nomen totum exhauriebat Salesium. Nec cogitabat, nec loquebatur, nisi: *Vivat Jezu! Amor meus!* Operarium fortunatissimum, cujus opus à Jezu incipit, & in hujus amore desinit! *Tristatur aliquis? veniat in cor ejus Jezu.* S. Bern.

*Instructio meritoria.*

Sit & eadem per diem tessera continua in ore; imò & schedulis inscribamus, & intrà cellas, aut lectisternia suspendamus. Sic Jezu non erit procul à latere nostro. Recitemus & *Litanias* de Sanctissimo Nomine Jezu. Amici nomen si audis, lætaris: quid si Nomen Redemptoris? Salvatoris? Amatoris?

III.

**F**ili dilecte! cor nostrum mutemus cum Corde viri hujus Seraphici. Franciscus caruit omni felle, & cordis acerbitate. Ideò purum mel fudit in proximum, ægrotos consolandò, pauperes eleemosynis ditandò, peccatores docendò, & errantes oviculas suaviter ad



Christi Jesu ovile attrahendô. O no-  
bile cor! O quàm rarum homini.

*Instructio meritoria.*

Ut meritîs S. Francisci obtineamus,  
*sex actus* mansuetudinis reflexè exercea-  
mus unâ cum *dolorosô Rosariô*, quod  
offeramus pro illis, quos sæpè nostrâ  
impatentiâ, & indignatione offendi-  
mus. Est hæc voluntas Divini Magistri  
præcipientis: discite à me, non mun-  
dum fabricare, non cuncta visibilia, &  
invisibilia creare, non in ipso mundo mi-  
rabilia facere, & mortuos suscitare; sed,  
quoniam mitis sum, & humilis corde.

Festum S. Petri Nolasci Funda-  
toris S. Ordinis De Misericordia ergà  
captivos.

EXHORTATIUNCULA I.

**D**iscamus à S. Petro succurrere pro-  
ximo. Is S. Ordinem instituit, qui  
animas servaret vel à tyrannide, vel à  
dæmone captivas. Quid agit charitas  
nostra? captivi ò quot adhuc existunt?  
sed ubi Petri? ubi redemptores? non  
advertuntur; quia paucissimi. Non  
quæ